

95 atque exsultatio incredulis fiat ; quanta desidiosis adu-
 lescentibus de te iactetur fabula, quantaque eis ad prae-
 cipitia luxuriae de te crescat auctoritas. Quod si redeas
 denuo ad illam virtutum viam, omnia haec vertentur in
 contrarium et nostrum quidem dedecus et confusio ad
 100 illos migrabit, nos vero erimus in gaudio multo et laetitia.
 Toto enim orbe victorem te libidinis, victorem luxu-
 riae praedicabimus, et triumphi tui coronas scribemus.
 Ista est enim maior et vera victoria, quae post lapsum
 conquiritur, quae post fugam reparatur. Tu vero non
 105 solum proprii laboris et emendationis tuae merita conse-
 queris, sed et mercedem pro illorum salute percipies, qui
 ex tua conversione capientes exemplum ad paenitentiam
 se, abiecta desperatione, convertent. Nec erit post haec
 aliquis qui quolibet lapsu deiectus non statim resurgere
 110 cupiat et statim se reparare festinet. »

18. Ne, quaeso, ne contemnas tam magna haec et tam
 grandia lucra, nec animas nostras cum tristitia ad inferos
 mittas, sed da nobis paululum respirare et eam, quae nos
 tui causa velavit, maestitiae a nobis nubem depelle. Ecce
 5 enim nunc propria obliviscentes mala, tuos casus lugemus,
 sed si velis rursus respicere paululum et amorem caeles-
 tium capere, hac nos quidem lamentatione liberaris et pro
 nostris iam facies nos cogitare delictis. Quod autem pos-
 sunt homines per paenitentiam ad splendorem pristinum
 10 reparari, immo interdum et multo clariores quam dudum